Dux in

Alex. Oratio panegyrica
Illmo Principi Janussio Duci in Ostrog
dedicata.

ORATIO PANEGYRICA,

Jllustrißimo Principi ac Domino, D.

IANVSSIO DVCI IN OSTROG. COMITI IN Tarnow, Castella: Cracouieñ: Włodimirieñ: Cercassieñ: Bialocerkieuieñ: Bohuslauieñ. &c. &c. Capitaneo Domino, D. Patrono suo clementissimo.

Ab

ALEXANDRO MELCHIOROWIC
Artium & Philosophiæ Baccalaureo,

DICATA.

VI. Idus Februarij, Anno salutis, M. DC. XIII.

CRACOVIÆ. Apud Simonem Kempinium.

IN ARMA
Illustrissimorum Ducum Ostrogiorum.



BElliger hisce tuos atauos insignibus auxit
Hostibus euictis dum nituêre nece.
An non hi sæuos cuneos strauêre Getharum?
Mystacas an non his, canna sinistra scidit?
Hæc ego quid memoro, testantur auita trophæa,
Quæ studio virtus, ardua semper adiit.
Nec te degenerem dextra & belli arguat vnquam,
Hæc cum te decorent, stemmata clara Ducum.

Illustrißimo Principi Domino,

D. IANVSSIO, DVCI IN OSTROG, COMITI IN Tarnow, Castellano Craco-

uień: Włodimirień: Cercassień: Peresla-
uień: &c. &c. Dńo D. Mecęnati
suo colendissimo.

S. P. D.

OMNES HOC HABEMVS à NAtura insitum, Illme Princeps, vt eos à quibus beneficia accepimus, amemus, colamus, ac veneremur. Et non iniuria. Nullum enim mortales vitium maius eße arbitrantur, quàm dum ingrati animi notam aliquis incurrit; nullum scelus atrocius eße putant, quàm dum ingratum eße alicui obijcitur, ex quo omnia scelera in genus humanum pleno alueo feruntur. Quid enim est ingratitudo, quàm impietas orta ex obliuione accepti beneficij? cum vel collati beneficij immemores sumus, vel inuiti gratiam referimus, vel cum (quod omnium est peßimum) pro liberalitate & beneficentia maleficium reddimus. Quod ego dum penitiùs mecum perpendo, inhumanum profectò ac impium, maximeq́ contra naturam eum peccare, qui tam teterrimi mali labem incurrat, ratus, semper id defixum in mente habebam, vt Illma Cnis Tuæ meritis erga me

ga me singularibus aliqua ex parte gratias referrem: cumq; id beneficia ab I. C. Tua præstita, à me expostulent; totum cursum vitæ meæ eò dirigendum curaui, vt quacunque ratione poßem heroicas, ac propè Diuinas virtutes I. C. Tuæ omni genere monumentorum, non modò hac opellâ quæ est perexigua, nam ab adolescente proficiscitur, sed quàm maxima posthac si Deus O. M. conceßerit immortali posteritatis memoriæ consecrarem. Non quòd rerum ab I. C. Tua gestarum gloria hoc tenui satis ac leui testimonio indigeat: sed quòd alia mihi nulla via relinquitur, quâ ingrati animi notam effugere valeam. Quapropter alij quidem, quibus est vberior doctrinæ copia, I. C. Tuæ maiora atq; grauiora offerent. Ego autem qui vix primis (vt aiunt) labris studia degustaui, à quo nihil egregium ac dignum I. C. Tua expectari potest; scribam tamen qualiacunq; potero: & hoc quàm leui testimonio omnibus, erga I. C. Tuam gratum ac memorem animum meum, testabor; iamq; modo testor, meq; totum I. C. Tuæ quod solum habeo, dono, do, dico, deuoueo. Supplex autem peto, vt æquo animo, vt solet I. C. Tua hoc munusculum leue à me, hilariq; & sereno vultu suscipiat, legat, & amplectatur, neq; tam quid amplitudini I. C. Tuæ conueniat, quàm quid præstari à me poßit I. C. Tua expendat. Vale meum decus, studiorūq; Patrone. Datum Crac: 6. Id: Feb. Anno 1613.

Illustrissimæ Celsit: Tuæ

Cliens,

Alexander Melchiorowic, *A. & P. Bac.*

ORATIO PANEGYRICA.

ETsi neminem reperiri arbitror, qui nesciat quàm sit difficile, & onerosum iudicio quidpiam, & censuræ committere virorum grauissimorum; qui Catonem illum censorem rigidissimum præseferant, lynceisq; oculis omnia perspiciant: difficiliùs tamen prælo aliquid dare, & in aspectũ lucemq́; hominum doctissimorum proferre, iudico. Etenim si pictores imagines suas, quas vnus angulus capere potest, lucidissimis coloribus noctes diesq́; inuigilantes condecorant: multò magis eos elaborare, qui literarum monumentis quidpiam consecrare, atq́; in lucem proferre volunt, (quod totus orbis audiat, legat, & admiretur) conuenit. Vt nihil sit penè, quòd non lychnum & lucernam Demosthenis redoleat: nihil quòd nõ pręmeditatum domi, perfectum ingenio, elaboratum & excultum omni lepôre atq; exornatum esse videatur. Cur ita? Omnes enim sibi videntur esse belli, sibi docti, sibi pulchri, sibi sapientes: omnes philtro quodam venenati sua laudant, aliena respuunt, & Theonino dente rodunt; omnes manticas, quæ sunt à fronte non quæ à tergo, respiciunt. Multi tamen reperti sunt, qui hominum improborum dicteria minimè veriti, priuatum commodum publico postponentes, totas noctes diesq́; desudarunt, totumq́; flo-

rem ætatis ſuæ ad hoc vnum tanquam ad Cyno-ſuram & Helicen direxerũt; vt poſteritati & Reipub. prodeſſe, ſuisq; ſcriptis ad res præclaras alios incitare poſſent. Neq; enim tot vnquam Reges aut Imperatores fortiſsimi extitiſſent, qui in tantas dimicationes, atq; in tantos profligatorum hominum quotidianos impetus patriæ ergo ſeſe obiicerent, niſi animus eorum in poſterum præſentiret, non cum vitæ tempore dimittendam commemorationem nominis ſui, ſed cum omni poſteritate adæquandam eſſe. Nullam ſiquidem virtus mercedem laborum periculorumq; deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ; quarum gratia omnes labores, frigora, æſtus, cruciatus corporis, omnia deniq; pericula mortis, atq; exilij flocci penduntur. Quæ omnia in tenebris iacerent, niſi viri ſapientes literarum lumen accenderent, quod nulla vnquam dies extinguere poſſet. His ego ſtudiis cum à pueritia ipſa ab Illuſtriſs: IANVSSIO, Duce in Oſtrog traditus eſſem, hoc vnum ſemper cordi habui, vt aliquando tantorum beneficiorum Principis mei Clementiſsimi, animi ſaltim memoris quodpiam indicium darem. Sed cum tot & tantas virtutes in ipſo conſpiciam, quod ingenium tam ſublime erit? in quo tantum flumen verborum, aut tanta vis & vt ita dicam fulmen ſententiarũ appareat, quod minimam ipſius

laudum

laudum partem commemorando recensere queat? Quid igitur faciendum est? Silere an aliquid dicere debeam, ambigo. Dicam? at nulla est mihi dicendi maiestas, quæ ipsius facta enumerare valeat? Sileam? at ingratissimus ero, si tantorum beneficiorum quæ mihi plena manu contulit, immemorem me exhibeam. Dicam igitur quám potero breuissimè. Vicit enim timorem humanitas, vicit pudorem subrusticum liberalitas, & magnificentia, ac in bonas literas magna propensio. Dicam autem quanquam eo apparatu, quem dignitas rei postulat non valeo; tamen vt & ego profectum studiorum meorum pericliter, & ille fructũ aliquem sumptus sui, quem mihi hucusq; suppeditat, percipiat. Rem magni nominis, magnum exemplar, gloriæ, admirationisq; plenissimum, aggredior. Tu ipse Illustriss: Princeps, quæcunq; à me dicentur bonam in partem accipito, vt me ad maiora contendẽtem beneuolentiæ aura subuehas & promoueas. Dicam igitur quãtum vires ingenij siuerint, primò de factis illius illustribus & meritis in Rempub. secundo de magnificentia: postremo de liberalitate incredibili in egenos. Atq; vt inde oratio mea proficiscatur, vnde totum orationis genus manasse videtur; familia eius clarissima, ortum suum ab eadem origine, ex qua Lechitæ florentissimi & bellicosissimi hu-

mi hu-

mi huius regni primi Autores prodiêre, ducit. Nam Russo, fratri Lechi, Polonorum primi Ducis, hæc regio quæ nunc Rusia dicitur, sorte oblata est, quam ille non minus feliciter, quàm Lechus Poloniam; condidit, rexit, factisq; illustribus cōdecorauit. Reuoluenda essent monuméta Polonorū, Suecorum, Italorum, Bohemorum, Moschorum, Prutenorum, quibus in gentibus nullus est adeò hospes, cui nomen Ostrogianum non sit clarum, stupendum & admirabile, vt iure meritò Ostrogia (quæ est totius Podoliæ decus & Asylum) ab omnibus suspici, laudari & prædicari debeat. Quid enim si Leopolis omnibus gentibus est admirationi, quod nomen insigne à Conditore suo Leone Imperatore acceperit, sitq; ad omnia pericula Reipub. Polonæ propulsanda, ceu leo fortisimus. Et vt cum Pòéta loquar.

Illa velut pelagi rupes immota resistit,
Vt pelagi rupes magno veniente fragore:
Quæ sese multis circum latrantibus vndis
Mole tenet, scopuli necquicquam & spumea circum
Saxa fremunt, lateriq; illisa refunditur alga.

Quid si Zamosciam laudamus, quæ Imperatore fortisimo Zamoscio patriæ amantisimo gloriatur; qui scutum Polonorum, hostiumq; fulgur appellatus est: qui felicisimè sepenumerò ingentes Turcarum exercitus exigua manu cecidit,

Scytha-

Scytharum agmina proſtrauit, Valachorum turmas fudit, Suecorũ legiones profligauit, Germanorum phalanges deleuit, Moſchorum oppida munitiſsima ferro & igni expugnauit, diruit, vaſtauit, multaq; millia virorũ orco immerſit. Quid ſi Cracouiam quòd cognomen ſuum à Craco ſortiatur prædicamus, quæ eſt omnium diſciplinarum mater & altrix, ad quam veluti Athenas (in quibus domicilium ſuum Muſas fixiſſe alitamq; rationem eſſe credidit antiquitas) vndiq; nationes confluunt? Nonne Oſtrogia omnibus his felicior atq; illuſtrior eſt, ex quâ tot ac tales Principes benigniſsimi, Senatores prudentiſsimi, Imperatoresq; fortiſsimi, tanquam ex Oceano profluxerunt, aut equo Traiano prodierunt? Ex quorum numero eſt IANVSSIVS, qui & apud ſuos in amore, & apud exteros eſt in honore; de quo aliqua dicturus nõ poſſum ſicco (vt dicitur) pede, parẽtes, auos, atauoſq; eius præterire. Quid enim eſt laudabilius, quàm maiorum clariſsimorum geſtis ſimilem apparere? Quid optabilius, quàm ex illuſtribus parentibus ortum, eorum eſſe non degenerem? Quid præclariùs, quàm ab auis atauiſq; Ducibus bellicoſiſsimis fortem naſci? vt enim è corruptis ſeminibus vitioſæ fruges, ſic à malâ radice mali ſurculi, à bonâ laudabiles pullulant. Vnde non ineleganter quidam.

Sæpe patris mores imitatur filius infans
Qualis erat mater, filia talis erit.

Et non immeritò. Nam quemadmodum in equis generositatem & dignitatem soboli adfert parẽtum generosus animus aut firma latera, aut pernicitas, aut pulchritudo: in arborib⁹ illę plerunq; laudantur, quæ optimis ex seminibus coaluerunt: ita in hominibus claris esse parentibus genitum semper pulcherrimum atq; honestissimum fuit. Vt enim Venusinus Pòéta ait.

Fortes creantur fortibus & bonis
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilla columbam.

Quid igitur dicam de parentibus eius, qui pacis & belli temporibus regnum hoc felicissimum viribus & consiliis ceu Atlas cælum humeris sustinebant, ac fulciebãt. Quorum alij patriam omnium charissimã, è seruitute fædissimâ, ac planè ex faucibus hostium eripuerunt, iucundæq; libertati & honori pristino restituerunt; multi terminos & fines imperij longè lateq; extenderunt, auxerunt, propagarunt; plurimi confines & socios Polonorum labantes, iam iamq, ad hostes desciscentes confirmarunt, erexerunt, lapsisq; manum supponentes à pernicie & ruinâ vindicarunt; vt eos taceam, qui vitam nulli nõ iucundã profũdere, mo-

re, modò patriam ſaluam ac incolumem conſer- uarent, non dubitarunt: nec eos commemoro qui primò omnium religio nem veram Chriſtiin oras Ruſsiæ attulerunt. Sileo quoq; bella quæ cum potentiſsimis Moſchis, ferociſsimis Tarta- ris, acerrimis Valachis, Turcis deniq; vel ipſa vi- ctoriarũ perpetuitate formidabilibus geſſerunt: quarum gentium validos ſępenumerò exercitus profligarunt, regionesq́; ipſas impunè vaſtarunt, domuerunt, ditioniq; ſuæ adiecerunt. Atq́; vt à Tartaris perpetuis noſtris hoſtibus ordiar, horum tres exercitus fortiſsimos apud Sluſcũ tribus præ- liis, auus illius Conſtantinus, feliciſsimus quon- dam Imperator, Sigiſmundo primo Poloniæ Re- ge, ad internecionem cæcidit. Deinde ad Viſno- uéciam viginti quatuor millia, cum ſe per fines Ruſsiæ populabundi diffudiſſent, feliciſsime pro- fligauit, cum ſuus miles numerum ſex millium non excederet, de quibus (quis credat) vix centum amiſsi ſunt; hoſtium verò innumera ſtrages facta eſt, vt vix pauci pernici fuga euaderent: quæ ma- gna quidem ſunt: ſed leuiſsima præ his quæ geſtit animus dicere, quæ ſciens volensq́; vt multa alia prętereo. Quid enim illam ad Canouiam in Li- tuania ingentem cladem memorem? quâ viginti ſex millia Scytharũ parua manu proſtrauit? Quid de Moſchis aliiſq; nationibus loquar? cum hæc

 lippis

ſippis (vt dicitur) & tonſoribus nota ſint. Longum eſſet dicere, quot Reges magnarum gentium fugauerit; longiùs quot manu ſuâ occiderit; longiſsimum quot armorum ſit quæ ipſe fugatis hoſtibus, dirutis vrbiũ mœnibus, expugnatis munitiſſimis naturâ loci atq; artis manu, arcibus ceperit. Enimuerò quæ mundi pars eſt, ad quam fama ipſius non penetrarit? Teſtis eſt Moldauia, quam ipſe plurimis prœliis compeſcuerat: teſtis Liuonia, quam è faucibus hoſtis barbari multoties eripuerat: teſtis Scytharum exercitus, quem ſæpiſsime cæciderat: teſtis Valachia & Turcarum gens, aliiq; barbari qui ad ipſius nomen tremebant: teſtis quoq; Starodubum, Orſa, & aliæ munitiſsimæ vrbes ipſius virtutis: teſtis ipſa Moſqua totius Moſchouiæ Metropolis, quam tot prœliis adeò oppugnauerat, vt ſemel fractos ſpiritus nequaquam poſthac recuperare poſſet, ſed audito nomine Conſtantini exhorruerat. Neq; iniuriâ. Semper etenim prudentia & conſilio, non minus quàm viribus, aut velocitate corporũ res magnas gerebat. Nihil ille attentare, priuſquam deliberaſſet: nihil aggredi, priuſquam omnia perpendiſſet: nihil oppugnare auſus eſt, antequam loci ſitus & aditus omnes benè cognitos & perſpectos habuiſſet. Vt iure optimo nomen hoc Conſtantinum Oſtrogianum celeberrimum promeritus ſit, quod

ſit,quod conſultè, cautè atq; conſtanter egerit omnia: *Conueniunt namq; rebus, nomina ſæpe ſuis.*

Verùm ne de ſecunda tantum fortuna eius dicere videar: quę dum ſplendet frangitur, & dum blanditur, captatum venit, quam ille ſemper in manibus geſtitabat, cum conſtet quantas ille domi militięq; res, & quanta felicitate geſſerit, vt ſuę volũtati non modò ciues paruerint, ſocij obtemperarint, hoſtes obedierint, ſed etiam venti tempeſtateſq; obſecundarint. Hac inebriatus Imperator hic fortiſsimus, cum oppida, caſtella, rura, exercituſq; Moſchorum impunè vaſtaſſet fortuna eum, quę eſt mutabilior Protheo, (licet ſibi ſemper benignè arrideret:) in altum euehens, in imũ vſq; deiecit: tranſmutat namq; incertos honores, nunc huic, nunc alij benigna, nulli verò pręſtat fidem. Obſeſſus igitur à Moſchis & ſumma fraude, dolo, locorumq; anguſtiis irretitus, capitur bellicoſiſsimus Imperator vnà cum nobilibus Lituanorum, militeq; ſuo lectiſsimo: capitur totius decus Ruſsię: capitur clypeus & ſcutum Polonię, coniicitur in carceres & vincula ornamẽtum Sarmatię; & quem innumera quondam hoſtium agmina vincere non poterant, vincitur en miſerè ab anguſtia locorum. Neq; multò poſt à Magno Moſchorum Duce primò terrore & minis petitur, vt iurare velit ſe ſuoſq; nepotes nũquam cum

Moſchis bellaturos fineſq; ipſorum depopulaturos. At nullis vbi victus eſt minis, tum Magnus Dux fruſtra inuictum animnm auro corrumpere nititur, pollicitus multis diuitiis ditare, principemq; regni (erat quippe ſibi ſanguine iunctus) habere, modò neglecta Polonia ſecũ regnare vellet. At nihil potuerunt efficere multa promiſſa Ducis, nihil multę facultates, nihil ingens argenti atque auri copia Prępoſuit nomen bonum diuitiis multis: prępoſuit immortalem gloriam, quiſquiliis his deargẽtatis, quę velut vmbra aut fumus pereunt: prępoſuit paternum tenue ſolum, amplis facultatibus; prępoſuit adextremum ſeruitutem inhoneſtam, aureę libertati Quid ita? Nihil enim glorioſiùs eſſe duxit, quàm à maioribus acceptam gloriam, diligenti ſtudio conſeruare, conſeruatam pręclaris geſtis ornare, ornatam virtutibus illuſtrare, illuſtratam ad poſteros inuiolatè ac integerrimè, licet ipſe durum ſeruitutis iugum pateretur, tranſmittere. Nihil rurpius putauit, quam labe aliqua maiorum facta deturpare. Nihil deterius quàm turpi aliquo facinore maioribus infamiam patrię ignominiam parare. Ex cuius poſt elapſus vinculis, quantis totã Moſchouiam cladibus afflixit, quot caſtella vaſtauit, quot vrbes natura inacceſſas expugnauit, quot arces turribus, machinis belli, & ingentibus tormentis

refertas

refertas cepit, quot prelia secunda confecit, quot millia Moschorum perexigua manu cecidit, vt reliqua sileam, vnum illud vnum reuocate vobis in mentem Orsense duellum, in quo octuaginta millia militis robustissimi cesa sunt, tantâ strage editâ, vt cadauerum numerus quadraginta millia excederet, Ductores exercitus, totusq; Senatorius & Equestris ordo vnà cum quatuor millibus captiuorum in Poloniam ablegatus sit, castra diuitiis, varioq; armorum genere onusta direpta, vastata, incensa sunt. Quid de Basilio ipso Magno Moschouię Duce exercitatissimo proferam? qui id tẽporis vix semimortuus, velocior tamen Euro aut Aquilone ad regiã suam Mosquam profugit, vbi tamen nequaquam tutus esse potuit. Tantus tunc pauor & metus totius Moschouię occuparat animos, vt sine vllo negotio Smolenscum, & alias munitiones complures Seueriensis ducatus, quę fraude hostium sunt captę, recuperare possent, si castra mouissent vltra: sed nullum precium maius laborum gloriâ immortali rati, ad patriam magnâ cum expectatione omnium redierunt, ibique Constantinus Ostrogius exercituum Dux, ob perpetuum, contra infidelissimam Moschorum gentem, odium, stemma, quod sibi affine fuerat cum Ducibus Moschorum aboleuit, aliudque ob insignia facta & merita pręclara in

Rempub.

Rempub. ſibi poſteriſque accepit. Sed quid ego hęc necquicquam ingrata reuoluo? non enim ſi mihi linguę, oraque centum ſint, aut ferrea vox (vt Maro inquit) omnes tamen maiorum ipſius virtutes poſſem percurrere. Enimuerò quis parentis ipſius Clariſsimi egregia facta, & merita in Rempub. enarrare valeat? Quis eius algores, ęſtus noctes dieſque ſub dio inſomnes, patrię ergò orationis vbertate recenſere queat? Quis bella, quę ipſe pro Patria, vná cum parente prudentiſſimo atque fortiſſimo Duce geſſit? Quid enim de pueritia ipſius dicam, in quâ ille ſtatim è ludo literario, & ex ephebis egreſſus, imò vix teneros à terra contingens ramos, poſtliminiò ad patris exercitum atque in militię diſciplinam profectus eſt, qui in extremâ pueritiâ parenti ſuo Imperatori obedientiſsimus fuit, mox ingruente adoleſcētia maximos ipſe exercitus duxit, magnis cohortibus pręfuit, magna bella geſsit, qui ſępius hoſtes eminus haſtis, & cominùs gladiis aggreſſus eſt, quàm quiſquam cum inimico odia ſuſcipere auſus eſt, qui plura pręlia confecit, quàm aliquis legit, plures vrbes expugnauit, quàm alius vidit, plures prouincias & oras terrarum Vulcano conſecrauit, quàm quiſquam concupiuit, aut cupere voluit; qui adoleſcentiam non in ludis aut voluptatibus, ſed in puluere Martis triuit: vt quò

gloria famaq; maiorum suorum penetraret, eòdem tela manuum suarum peruenerint. Quis est hostis tam ferox, quem ille iuuenis non subiugarit? quæ regiones & prouinciæ exterarum gentium, tam munitæ quę aduentum illius non perhorruerint? Age verò quid ea quę in virili ætate gesit reuoluam? vt non maiorum suorum stragulis & titulis apud suos & exteros inclaruerit, sed propriâ virtute (honos enim est virtutis, non generis prȩmiū) laudem amoremque promeruit. Quis illius consilia in Senatu prudentissima complecti posset? Quis se humanitatem orationis vbertate, adumbraturū putet? vt difficile dictu sit, pluresné regiones hostesque beneuolentiâ ac humanitate, imitatus Romanorum Duces, deditione acceperit, an verò armis subiugarit. Quis ipsius constantiam animi, in sententiis ferendis pro commodo Reipub. satis dignè effari queat? Siue enim fractus, vt Horatius inquit, illabatur orbis, impauidum ferirent ruinæ.

Iustum (siquidem) & tenacem propositi virum
Non ciuium ardor, praua iubentium
Non vultus instantis Tyranni,
Mente, quatit solida.

Quis liberalitatem in egenos, clementiam in ciues, magnificentiam in religiosos, charitatem in patriam, pietatem in Deum, dicendo exprimere valeat? Quis denique austeritatem in superbos, mansuetudinem

autem in ſubiectos eloqui audeat? vt iure ſibi vendicet illud Maronianum.

Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere morem,
Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.

Quare ſummâ Dei omnipotentis benignitate pluſquam Neſtoreos vixit annos, & vtinam diutiùs vixiſſet. Verùm ſummo cum dolore filij, & mçrore ciuium, patriæq; luctu, ex hac ſtatione ad beatas illas ſuperorum ſedes demigrauit; æqua enim tellus pauperi recluditur, Regumq; pueris, & calcanda ſemel via lethi omnibus ſupereſt. Quo mortuo quantus tota in Ruſsia luctus & gemitus exaudiebatur? quãtæ ſollicitudines prçcordia virorum impleuerant? quanto fletu & gemitu infantes ora genaſq; ſuas lachrymis humectabant? quanto clamore virgines & matronæ honeſtiſsimæ æthera complebant? quis eſt qui neſciat? Exaudiebatur vbiq; locorum planctus: vici colleſq; gemebant Quid multa? vbique pallor, fletus, & plurima mortis imago obuerſabatur, omnium ætatum, omniumque ordinum atræ ac ſordidæ veſtes apparebant, forum mutum & obſcurum çquiſsimo iudice orbatũ ſilebat, ruebant cœlo quaſi vndique tactæ domus, ædeſque regifico luxu & Dedaleo opere exſtructæ viduatæ erant, vrbs ipſa mçrensatq; proſtrata, omniaque templa quæ ipſe inuiſere ſolebat, denudata cõſpiciebãtur. Deuolat mox in ædes filij, ob ægritudinem parentis mœſtiſſimi

eius

eius âcerbitatis nũcius: quo áudito cõcidit extẽplò exanimis,multiſque lachrymis faciem deleuit. Nec mora pedibus æger defertur ad palatia parentis cariſsimi , quo viſo procidit lachrymabundus ad ora lurida, atque in hęc verba profatur. O mutatam faciem domus. Heu męſtum aditum triſtemq; aſpectum. Quid loquar, aut quid taceam? vbique imago mortis apparet. Vbi iam ſolatia quęram? à quo conſilia petam? Quem alloquar? Cuius dulciori ſermone fruar?Quo domi mentem oblectabo?Quò vertam gradum? vbiq; in ædibus ſolitudo męrore animum conficit. O fallacem ſpem hominum. O inanes cogitationes. O miſeram generis humani cõditionem.Quid es ô homo,niſi imbecillitatis exemplum,temporis ſpolium,fortunę luſus,inconſtantię imago,inuidię & calamitatis trutina.Quid tantopere de tuis diuitiis gloriaris? Cur te aliis ſuperiorem eſſe iactitas? ſiquidem dum tibi maxima polliceris, minimis potiri nequaquã potes. Superet quis robore Cyclopes, velocitate Aquilonem, formâ Tythonũ,opibus Mydam & Cyñarã Reges,lingue ſuauitate Adraſtũ,eloquij tubâ Ciceronẽ?omnia hęc à falcę mortis intereunt,viliuſq; poſt funera algâ pendũtur.

Vbi enim ſemel occideris & de te ſplendida Minos
Fecerit arbitria,
Non Torquate genus, non te facundia, non te
Reſtituet pietas.

Vt Lyricus ait. Nec luce caſsis poſt frui datur luce. Quò igitur abis cariſsime parens? Cur iam mecum degere renuis vitam? Cur me in omnia pericula nō rapis tecum? cum magnum ſit ſolatium afflictis habuiſſe ſocios laborum dolorumque. Nulla me iam nulla iuuabunt cōuiuia, ſed dura ſingulis horis tranſigam ſuſpiria, nulli me dulces cantus aut colloquia oblectabunt, nam cuncta vitæ gaudia mors abſtulit tua. O mortem inexorabilem, quæ neque iuuenum, neque ſenum, poplitibus parcis. O portentum naturæ, quod neq́; pauperum, neq; Regum filiis parcere didiciſti, ſed æquo pede pulſas pauperum tabernas, Regumque turres. Non te vnquam flectere poterant pauperum lachrymæ, non te perterruit militum, armorumq́; fragor, non te remouerunt magiſtratus faſces, non ſceptra Principum, non ſatellites aut ſtipata caterua Regum, ſed per medios volas ſatellites, & perrumpis ſaxa potentiùs ictu fulmineo. Quid verò iam ipſius vrbis Oſtrogiæ luctum commemorem, ne iam obductam cicatricem refricare videar? Quas illa voces edidit? Quo dolore & gemitu Principem ſuū eſt proſecuta? Amiſimus ſapientem Principem, iuſtum iudicem, fortem & ſtrenuum bellatorem. Perdidimus decus & ſplendorem patriæ, pręſidium legum, ornamentum dignitatis noſtræ. Hic enim non ſolùm mihi pręfuit, verùm etiam profuit, non modò me rexit, ſed etiam

texit,

texit, non modò seruauit, verùm quoq; beauit, non solùm detraxit calamitatem, sed & auxit cum imperio dignitatem. Quò properas patrone? Quò raperis gubernator? Quis te mihi aufert pręsidem & vindicem libertatis? Quis tibi nuper non inuidit Ducum fortissime, cui omnia prope supra votum & virgulâ (vt aiunt) Diuinâ acciderant, nunc autem cuncta sunt aduersa. Non tibi defuit clari generis splendor: non facultatum copia: non ingenua totius corporis pulchritudo: non facies liberalis multo rubore suffusa; non oris venustas, non soboles digna tanto parente; non deniq; parta validâ dextrâ gloria defuit: nunc autem sine nomine iaces, nunc victus è palatiis tuis cedis victrici morti, nunc à patria, filio, amicis, consanguineis, & à subditis tuis abis. Heu caducam mortalium vitam. Tu nuper hostium Russiæ fuisti terror, tu nuper amplificandorum bonorum & ornamenti autor extitisti: modò autē in squalore & gemitu omnium iaces, meq; ipsam, quæ te alui, orbatam consilio, ope, & autoritate destituisti. Tu nuper hostes dominandi libidine inflāmatos domuisti, vicisti, tuoq; imperio subiecisti; nunc autem à Parcis victus & occisus es. Et cuius arma expertus est fœdifragus Moschus, Turca timuit, Scytha perhorruit, nunc ipse falcem mortis incurristi. Et qui semper aliis vitam pariebas vt ex ipsis penè faucibus mortis nonnullos eriperes, nunc ipse

 ad sepul-

ad ſepulturã deferis. Heu me miſeram poſt obitum tanti Principis, manibus mihi date, lilia plenis, date benè odoratos flores, vt his ſaltim animam cariſsimi Ducis accumulem donis, & munere, heu infelicem ac luctuoſum diẽ, inani onerem, ſi nullus alius modus cõceditur. Occidis ergo iam occidis ô Sol Clariſsime, & nos in iſta caligine, & nymbis ciuilium bellorum relinquis. At crede mihi non occides, ſed in filio tuo IANVSSIO viues & lucebis: quem vouemus ſalubrium conſiliorum tuorum, vt potentiæ atq; opum hæredem. Quidni autem erit? tali ſtirpe, educatione, indole, imò nouum & ſalutare ſydus exortum eum eſſe ſperamus, ad illuſtrandum & vegetandum Regnum hoc Poloniæ florentiſsimum, Deus vota noſtra audiat, & illi cõſilia atq; animum donet, bene decernendi, fortiter patrandi. Tui verò ipſius Princeps & Dux fortiſsime, nunquam me capiet obliuio, nunquã tui Ruſsia obliuiſcetur, nunquã Polonia tuas laudes ſatis enarrare poterit, ſemperq; diem mortis tuæ acerbum venerabitur & celebrabit. Verùm enimuerò ancorâ claſsis ſolutâ, ne totis ſinibus eam pandam, neue in profundo amplius ſine remis veliſq; decurram, ad IANVSSIVM patronum ſtudiorum meorum clementiſsimum curſum ſermonis mei dirigo. Vnde autem eum laudare incipiam? An corporis dignitatem vultus atq; oris elegantiam, faciem liberalem & Senatorium quendam de-

dam de-

dam decorem prędicem? quæ licet à fortunâ pendeant, non tamen omittenda esse putaui, pręsertim in viris illustri loco procreatis, in quibus indoles pręclara magnarum solet esse indicium virtutum. Omitto fortunæ bona, quæ sunt adiumento hominibus ad res pręclarè gerendas. Pręterco ingenium docile & acutum, industriam magnam, solertiam insignem, in rebusq; agendis dexteritatem laudabilem: quæ omnia magnum semper & clarum virum fore denotant. De cuius infantiâ quid dicam? in quâ magna virtutum indicia in illo enituêre. Quid pueritiam attingam, quam ille non otio, quod est pestis adolescentum, sed labori, qui est gloriæ parens consecrauerat? traditus namque à parentibus eruditis pręceptoribus literis informandus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, tanto animi feruore studia literarum amplexus est, vt nulli palmam in artibus concederet, sed omnibus semper superior esset. Cui vtinam similes plures Sarmatia nostra habeat, felicius tranquilliusq; habitura. Quid adolescentiam repetam, quam ille in alienis terrarũ oris triuit? Pręsertim apud Cęsarem suâ ætate Christiani nominis amantissimum, religionisq; Christi cultorem diligentissimum: in quo admiratus cultus Dei omnipotentis feruorem, & integritatem vitæ, eiusdem religionis cultor sedisq; Apostolicæ amator esse voluit. In quâ ætate summum in eo cul-

tus Di-

tus Diuini ſtudium enituit. Pater enim cum audiſſet ab auita maiorum ſuorum religione eum deſciuiſſe, nuſquam amplius paternum animum ſibi declarare voluit, ſed maleſuadâ fame & turpi egeſtate à propoſito ſancto iuuenem,abducere niſus eſt fruſtra. Nihil enim inedia, algores, æſtus, animus infenſus, nihil ad extremum minę effecerunt: cum nihil haberet delectabilius, quâm in Orthodoxa Eccleſiâ verum Deum colere, qui ſua ſuauitate omnes exuperat delitias & voluptates mundi, vt à patre deſertus contentus eſſet gauſape vili, pane & aquâ purâ: vt cętera ſileam, quę ille modeſtiſsime pertulit, ſciens nihil eſſe infeliciùs eo cui nihil vnquam euenit aduerſi. Enimuerò vnde cognoſcere poſſumus, quãtum ſit alicui animi ad perferendam paupertatem, ſi diuitiis ſẽper affluat? vnde poſſumus diſcere, quantum aduerſus ignonimiam ac infamiam, odiumque populare cõſtantię habeat, ſi inter plauſus ſeneſcat? Vnde poſſumus videre, quantum in aduerſis valeat malis, ſi ſecunda fortuna ſemper ſibi arrideat? Calamitas ſiquidem virtutis eſt occaſio: neq; imbellem virum (vt Mimus ait) capiunt pericula magna Auida eſt ſemper periculi virtus, & quò tendat, nõ quid paſſura ſit cogitat. Quid? Nonné in tempeſtate gubernator, in acie miles noſcitur? Nonné in caſtris pericula fortiſsimis imperãtur. Nonné Duces, lectiſſimos ſemper militum mittunt, qui nocturnis hoſtes ag-

ſtes ag-

ſtes aggrediātur, inſidiis? Nonné exercitatiſſimi mittuntur, qui aut explorent iter, aut impedimenta locorum tollant? Nonné eos ſocios omnium periculorum habent, qui robuſtâ manu quatiant haſtam, ac impauidum pectus fortiter obiiciant telis? Volunt enim vt igne aurum; ſic miſeriâ & periculis probari milites fortes. Pari quoquè ratione quis viros probos acceptos Deo poterit cognoſcere, niſi videat eos laborare, ſudare, mala patienter ferre, & per ardua ad culmen beatitudinis aſcendere. Bonum etenim, ſummus ille cæli terræq; gubernator, non vult eſſe in delitiis virum, caſtigat, experitur, indurat, duriuſq; educat, quem ſibi pręparat. Quæ ille omnia (& maiora paratus ferre) pertulit. Cuius ego virtutes dum recenſere cupio, dicendum mihi credo eſſet quantâ fide ſemper erga Reges, quantâ animi magnitudine aduerſus tela & procellas inconſtantis fortunæ, quantâ humanitate in victoriis temperandis, quantâ facilitate erga ſubiectos, quantâ in omnibus rebus temperantiâ, quantâ deniq, rebus in agendis induſtriâ pręditus ſit; quibus ille Conſtantini Ducis aui ſui virtutes ad vnguem expreſſiſſe, effinxiſſe, & efformaſſe videtur. Quid enim fidem Cōſtantini aui reuoluam, quam ille Regibus ſemel datam, ſemper ſartam, tectam, ac inuiolatam ſeruauit? hac quoq; huic Principi noſtro nihil eſt carius. Quid humanitatem illius erga deuictos, vt haud facilè ſit

 ſcire

ſcire pluſnè armis quàm humanitate in deuincendis hoſtibus valuerit? in hac quoq; noſter palmam ſibi pręripi non patitur. Quid facilitatem illius erga ſubditos? nullus fuit quem ille non benigne ſuſceperit,& allocutus ſit; huius quoq; magna ſunt veſtigia in animo noſtri Principis infixa. Quid temperantiam incredibilem? nunquã illi nimius apparatus aut Põtificum cœna, ſed ſemper frugalis & Philoſophica menſa cara fuit: huius etiam virtutis rigidiſſimus, noſter Princeps eſt ſatelles, ni liberalitas à maioribus inſita expoſtulet; eſt enim valde decorum patere domos virorum illuſtrium, hominibus inferioris conditionis & fortunæ. Quid in rebus agendis dexteritatem commemorem? Semper ille vincere, nunquam vinci, ſemper ducere, nunquam duci, ſemper cædere, nunquam cædi, ni eum ſemel perfidiſsima Moſchorum gens dolo viciſſet, didicerat: hęc quoq; huic Principi feliciſſimo, iure quodã hęreditario debetur,cum nidus eorum Oſtrogia,in qua alti & educati ſunt,nil niſi conſilium quoddam ſagax denotet: quæ me omnia tacere breuitas cogit: illa enim quæ geſtio dicere, ſunt veluti fontes & capita,ex quibus cęteræ virtutes promanarũt. Atq; inprimis mihi geſta illuſtria occurrunt. Quis enim eſt quem lateant illius bella in iuuenili adhuc ætate geſta? Reducite vobis in memoriam ingentem illam Tartarorum ſtragem, quæ noſtrâ memoriâ ſub oppido

pido Dubno ab ipſo eſt facta: cum totam Podoliam, Ruſſiam, Voliniam, multis cladibus afflixiſſent. Huic namq; parẽs decimum octauum annum agẽti, cum caſtra militiæ ſuæ tradidiſſet; omnibuſq; vt dictis parerent, pręcepiſſet; cumq́; tota Ruſſia iuuenem Ducem, at prudentem Imperatorem, viribus minùs fortem, at conſilio validiſſimum: iuuenem ætate, at virum robuſtiſſimum; tyronem militem, at ductorem ſapientiſſimum, habuiſſet. Qua tamen fortitudine nefarios conatus Scytharum, iuuenis licet repreſſerit, qua diligentia omnes dolos hoſtis crudeliſſimi euitarit, quantamq́; cladem in hoſte fecerit? hucuſq; Scythæ illud pręlium acerbũ diemq́; luctuoſam habent. Vbi namque ſummo diluculo omnibus modis aditum vrbis, cui pater iuuenem filium prefecerat, attentaſſent: vbi omnes neruos virium ſuarum, ingeniumq; callidum ac vafrum, allecti ſpe opimę prędę, (cum didiciſſent patrem filios filiaſq́; ſuas ibidem reliquiſſe) vbi inquam totas vires intendiſſent; vt nihil eſſet prorſus, quod intra ſpatium quatuor dierum intactum aut intentatum, non modò diebus, ſed etiam noctibus reliquerint. Verùm ſpe decepti cum iuuenis vigilias prudentiamque aduertiſſent: non ſine magnâ ſuorum ſtrage, ab vrbe magno cum dolore diſceſſerunt, per totamq́; Ruſſiam fuſi, vix pauci penates ſuos reuiſerunt. Iactet iam Roma totius quondam orbis Do-

mina Camilli virtutes,pietatemq́; in patriam. Cum enim in exilium missus esset, patriamq́; à Gallis captam, ędes diuulsas atq; dirutas,iuuenes in seruitutem raptos, Consules cęsos, optimates trucidatos, templaque prô scelus Dei Omnipotentis profanata audisset,congregauit haud mora Camillus patrię amantissimus militem pauculum, paruaque manu, immemor ignonimię suę quam à Consulibus acceperat, feroces barbaros aggressus est, dispulit, fugauit, atq; cęcidit; iisq; salutem à quibus ipse exilium passus erat,peperit. Magnum equidem fuit pietatis exemplum in Camillo patriam à Gallis liberare ; in qua ipsi aquâ & igni interdictum erat. Magnum amoris indicium, Consules in patriã reducere; à quibus ipse pulsus fuerat. Magnum charitatis signum, parentibus liberos saluos ac incolumes restituere; apud quos exosa fuerat memoriaCamilli.Magnum deniq; religionis ac probitatis argumentum , penates in vrbem deferre ; à quibus longissimè in æternum exilium ablegatus fuerat. Nonné maior pietas in nostro hoc Principe apparuit : qui non in exilium (quod sapientes nunquam inuiti,fortes etiam sępè libenter appetiuerũt) relegatus erat , sed quem à vero cultu Diuino, quo nihil est homini probo in vita carius, pater abducere voluit ; ille tamen oblitus malorum, quę ab amicis pertulerat , fratrum, sororum,subditorumq; pręsidium fuit. Quid referã

illam,

illam, propria ſua mãnu,partam ad oppida Piątek & Czudnouiam, victoriam? Cum enim decem millia hominum nequam,ex cõfiniis Scythicis aduolaſſent, oraſq; Ruſſię & oppida parentis ſui vaſtaſſent; impatiens IANVSSIVS illorum atrocitatis, congregat militem, aduocat fratres, inuitat parentem ſenio confectum, bellumq́; non minùs cum hoſte potentiſſimo, quàm cum audaciſſimo gerendum eſſe militibus nunciat: aduolat nec mora velociſſimè ad oppidum Piątek quod vi occuparant; claſſicum canitur,milites fremunt,furor adextremùm vndiq́; arma miniſtrat: quod vbi vicos vrbis perſonuit, vndiq́; portis homines nullius fidei pietatiſque, ſed qui aſſiduò, pręda raptoq́; viuere conſueuerunt,ſomno ſepulti poculoq; pluſquam Circeo madidi, ad pręlium funduntur, ſocios conuocant: alij enſes & arcus corripiunt,alij inermes (proh hominum Diuûmq; fidem) in pręlium ruunt. Quorum tam efferam audaciam, multitudinemq; innumeram, ſtipitibus duris armatam, Ductores exercitus admirati, diu pręlio ancipite in acie perſtiterunt.Attamen hic Dux inuictiſſimus ſatiùs eſſe ratus, immortalitate gloriæ ſemper vigere; quàm vitam obſcuram intra parietes priuatos degere, proſiluit in medias hoſtium turmas, exoptans potiùs mortem quàm cum ignonimiâ ſtationem ſemel arreptam deſerere, aut hoſti terga dare: quod vidẽtes milites irruũt acriùs

omnes in hostem, cędunt, prosternunt, profligant; vt vix Dux ipsorum in abdita loca montium profugerit. Quis illius diei stragem enarrare queat? Quis numerum cęsorum recensere? Elucent ad hęc tempora illius pugnæ indicia magna Apparent hucusq; tres ingentis magnitudinis tumuli, in quibus cadauera cęsorũ sepulta sunt. Extant ad hunc diem ob sempiternam memoriam insignia multa, quæ semper IANVSSIVM Magnum prędicant & prędicabunt. Etsi in omni victoriâ quæ de hostibus capitur milites sibi vnà cum Imperatoribus aliquam gloriæ partem vendicant; huius tamen victoriæ, quam est paulò antè adeptus, socium habet neminem, totum hoc quantumcunq; est, quod certè maximum est, totum est, inquam ipsius. Nihil sibi ex istâ victoriâ pater ætate grauis, nihil fratres, nihil cohors, nihil turma armis inuicta, decerpit, illius est tota, illius propria victoria. Quid igitur si summus Imperatorum nominatur Affricanus Scipio, quod paruâ manu magnas hostium copias fundebat? Quis minori manu maiora agmina profligauit? Collocatur in numero Imperatorum fortissimus Carthaginensiũ Dux Annibal, quòd sępenumerò fortissimas Romanorum ac penè inuictissimas legiones audaciâ solâ compresserit. Quis vnquam fortiorem hostem maiori audaciâ hoc Principe prostrauit? Prefertur omnibus Imperatoribus Magnus Alexander, quòd multos

multos barbaros & immanes hostes domuerit. Quis vnquam duriores hostes domuit? quid dicam domuit, imò ad internecionem deleuit. Silentio inuoluo nuper lectissimum militem ad Moschouitici imperij oras cum inuictissimo Rege Sigismundo missum. Pręterco quot clades quotidiè in Turcarũ gẽte bellicosissimâ, dum Macouiciam rexit, fecerit, quot vrbes munitissimas, insulasque inexpugnabiles vastauerit, pręterco. Quid plura? Nullum penè genus belli potest esse, in quo eum fortuna non exercuerit. Notum est omnibus ciuile illud ac intestinum nostris temporibus bellum infelicissimum, cum irâ & furore quodam omnes perciti, ad arma (quòd Deus iam amplius auerruncet) prosiluerant, dum diuersę voluntates ciuium fuerant, distractęquè sententiæ, neq; consiliis solùm & studiis, sed armis etiam & castris dissidebant. Versabatur in castris furor, in curia timor, in foro coniuratio, in agris vastitas, in campis exercitus, ferrum in iugulũ & ceruices ciuium sociorumque exacuentes. Quid? In omni, heu infelicissima tempora, sede & loco ferrum, flammæ & incendia dominabantur, templũquè pacis, arietibus, heu infelices annos, Martialibus iam iam cadebat. Hic tamen prudentissimus Princeps cum tantam cladem & exitium fermè Reipub. suisque manibus totam Poloniam, (quæ tot sęculis semper floruit) ruere animaduertisset: aduenit en

nit en ſubitò fortiſſimus heros robuſto ſtipatus mi-
lite, in medioq; acierũ caſtra ſua locare, haud quicquam, veluti inſcius malorum, reueretur. Heu quid agis Princeps inuictiſſime. Cur te ſpontè in tantos impetus obiicis? Cur vitam tuam, teque è periculis non ſubducis? Cur in medias irruis acies, & tantũ oppetis diſcrimẽ rerum? Cur tuũ pro omnibus tradis periculis caput? Iucundũ tibi eſt pro patriâ, quæ omnes omnium caritates ſola complexa eſt, diſcrimen vitæ ſubire: iucundum tibi mori, vt aliis vitam reſtituas: iucundum ſalute tuâ ſalutem patriæ repręſentare. Fremebat namque hîc miles armis, numeroque ferox, illîc manu robuſtus, micabat hîc haſtarum fulgor, illîc armorum ſplendor, volabant hinc iacula è tormentis miſſa, illinc haſtę eminùs iactę, exaudiebantur hinc galearum ſonitus, illinc enſium ſtrepitus, vndique fremitus (vt rem paucis cõplectar) equorum iuuenumque exaudiebantur. O incredibilem animi fortitudinem. O ſingularem ingenij dexteritatem. O inuictum pectoris robur. O illuſtrem ac verè Diuinam ſapientiam. Quod enim nullus Ducum peritiſſimus armis pręſtare potuit, vt pacem, in quâ omnia regna florent, componeret; hoc ipſe ſingulari ſuâ ſapientiâ eſt aſſecutus. Enimuerô cunctatione ſolâ quæ militum frangit animos, id effecit, cum neutri vellet adhęrere parti, vt nonnulli domos ſuas rebus infectis abierint, nõnulli

nulli ad Regiam maieſtatem deſciuerint, ab aliis arma poſita, aliis erepta ſint, non nulli autem, heu miſerè victi, pacis conditiones, alieno periculo edocti, ſuſceperint. Cedat igitur ſagum togæ, cedant caſtra foro, cedant conſiliis arma, vnus homo vnus cunctando reſtituit rem: Vnus ſagacitate mentis celeritatem corporum vicit; vnus fortitudine animi inuicta, militiæ fulgura diſpulit; vnus deniq; conſilio furentem in armis Martis furorem repreſſit. Valeat iam Roma quæ ſuorum ciuium, qui pro patria aliquid prçclari geſſerant, triumphos & laudes ſatis prædicare non potuit. Taceat parens Eloquentiæ Romanæ Cicero, qui ſe parentem patriæ, quod Catilinam nefarium ciuem vrbe pepulerit ſiuit nuncupare. Glorietur IANVSSIVS ſapientiſſimus qui non vnum Catilinam, ſed multa millia virorum, non expulit, ſed ſedauit. Conticeſcat Fabius Maximus, qui cunctando Annibalis vires fregerat, cum domi viuū habeamus Fabium; ille namq; extra muros, hic intra mçnia; ille in campis, hic in foro ſedauit furentem Martem, quo malo & veterū memoriâ & noſtrâ ætate florentiſſimas Reſpub. ciuitateſq; occidiſſe omnibus conſtat. Ille robuſtum militem, at Ducem effçminatum; hic milites Imperatoreſq; bellicoſiſſimos: ille amçnitate locorum voluptatibuſq; belluinis eneruatum militem, animus ſiquidem delitiis mancipatus perdit vires conſiliumque; hic autem

 vetera-

veteranos milites in castris exercitatissimos, domi forisq; laudatissimos, sapientia & cunctatione restinxit, sustulit. O felicem Russiam quæ tantum procreasti Principem. O fortunatissimos parentes, qui talem progenuistis filium. O beatam Poloniam, quę tam prudētem Senatorē nacta es. Quorum etenim fortissimorum Ducum, quarum gentium exterarū, potentissimorumq; populorum, aut Regum Clarissimorum facta, cum huius gestis vel contentionis magnitudine, vel numero pręliorum, vel dissimilitudine bellorum conferri poterunt? Proprium fuit aliis viribus corporis res magnas conficere, commune quibusdam multitudine amicorum septos summa rerum tentare; peculiare nonnullis audacia fretos illustria facta aggredi: quid dicam de his qui fortunæ bonis cumulati suprema moliuntur cacumina plerunq; rerum. At hic felicissimus Princeps nō audaciâ aut viribus, sed sapiētiâ solâ virtutibusq; quibus nihil est pręstantius in toto orbe, pręmunitus, magna & humani ingenij vires supereminentia consequi ausus est. Sed iam Magnificentiam quæ est heroum Principumq; opulentissimorum virtus salutemus. Magnifici enim atque ampla spectantis viri est, & ad liberalitatem, id est, ad decus & gloriam nati, in eas res profundere pecuniam, quæ diutissimè manere possint, laudemque & gloriam im̄ortalē pariant. Huius verò Principis clementissimi quis

est qui

est qui magnificentiam ingentem (quæ est sibi tanquam hęreditaria virtus à maioribus data) non admiretur? Quis ignorat quantos ille sumptus pro tutella patriæ, hostes è finibus Russiæ propulsando fecerit? Quem latet quantum ille in Russia in extruendis arcibus, quæ hostibus terrori essent elocarit? Quem fugit quot ille millia virorum fortissimorum ad depellenda pericula, pecuniâ sua alat atque foueat? Cui ignotum est quantas ipse facultates, in honorem cultumque Diuinum, templa ingentis magnitudinis sumptuosè exstruendo atque ditando expenderit? Quid enim oppida, vt à minimis ordiar, quæ ille fossis, vallis, murorumque machinis circumduxit commemorem? Testis est oppidum Dubno męnibus arduis vndique munitum, plurimis palatiis ornatum, tormentisque variis refertum. Testis Ostrogia muro lateritio circumducta, arx ipsa turribus vallidissimis onusta. Testis Constantinouia inaccessa hostibus. Sed hęc leuia sunt; illam quam ipse in limite Scythiæ ingenti ope, ciuitatem nomine Raczkow, arce, vallis, portu, turribusque formidabilē quis non admirabitur? Age verò quot templa magnificè ædificauit? quot sacella erexit? quot ab execrandis hęreticis atque Russis profanata restaurauit? quot annuis stipendiis atque censu ditauit? Liquet credo omnibus quāto artificio & quàm magnificè Mausoleum Tarnouiæ in sempiternam

 sui no-

ſui nominis memoriam erectum eſt. Quod ſi quis paulò diligentiùs inſpexerit, non amplius proculdubiò aureæ ſtatuæ Romanorum requirendæ eſſent; quas illi pro breui vita, Imperatoribus ſuis, qui ob Rempub. mortem obierant, in Roſtris ad perpetuam memoriam erigebant. Non columnæ Delphici templi, ex quadratis lapidibus fabricatæ. Non Mauſolea Regis Cariæ, quæ inter ſeptem miracula mundi numerabantur. Superat hoc multum omnia antiqua ſepulchra pulchritudine, ſuperat impenſis, ſuperat artificio. Quàm venuſtè ſunt duæ pyramides altiſſimæ ædificatę, fundamentum autem ipſius ſepulchri ex lateribus coctilibus erectum; in cuius lateribus eſt tabula aureis literis notata, ſuper quam puluinar ex marmore in longitudinem ſex cubitorum, quod ſuſtinent quatuor leones tenentes ſtemmata, & inſignia auorum atauorumq; Ducum in Oſtrog: in puluinari autem effigies Ducíſſæ flexis genibus ante paſſionem Chriſti, ex alabaſtro exciſam. Quid plura?

Non vidiße ſemel ſatis eſt, iuuat vſq; morari.

A tergo namq; paſſionis eſt effigies S. Ioannis & B. Mariæ: ſita verò paſſio in tabulâ marmoreâ: cuius à tergo duo catefracti milites equis inſidentes ex alabaſtro, longitudinem duorum cubitorum excedẽtes. Supra illos Angeli, à tergo ex alabaſtro, tabellas marmoreas tenentes, aureis literis notatas, titulos

Illuſtriſſ.

Jlustriss: Ducissæ referentes; Supra passionem insignia Martis ex alabastro; à tergo Angeli, in suprema parte mors subtili structurâ polita ex alabastro, cum clepsidra, à tergo quoq; Angeli apparét: quæ omnia sunt (vt multa alia pręteream) miro artificij genere deaurata & excisa. Certabunt credo gentes, admirabuntur posteri, intuebitur ipsa æternitas artificium tam insigne: verùm nullus posterorum ne dicam simile sepulchrum exstruet, sed ne depingere quidem poterit. Prętereo Polinium, Sileo Constantinouiá, taceo Ostrogiam; vbi templa augusta regali sumptu cõdidit. Miedziricium ipsum meâ memoriâ ab ipso excitatum videamus. Quantis vndique vallis, amneque rapidissimo est cinctum? Quot portis turribusue altissimis septum? Quot tormentis bellicis repletum? Quot palatiis exornatum? Quid si magna paruis, vt Maro ait, componere licet. Quàm est magnifico sumptu templum D. Francisci è quadrato lapide intus sex sublimibus columnis ad æthera vsque euectum? Quàm artificiosè turriculæ quinq; supra sunt in templo constructę; in quibus sunt fenestræ lucidissimæ? Quantâ impensâ turres quatuor altissimæ in lateribus templi structæ? Quid ædes inhabitantium memorem? Multa sunt sacella augusta, in quibus religiosi viri preces, horas, meditationesq; suas nocte dieque expediunt. O fortunatum Miedziricium. Quæ ciuitas opulentissima tam bre-

tui tẽporis ſpatio tot vallis & foſſis latiſſimis eſt conciſa? Quod oppidum in totâ Volinia tot ædibus magnificis exornatum? Quis locus vnquã tot Principes Clariſſimos, Senatores prudentiſſimos, heroas fortiſſimos, viroſq; religioſos comprehendit? Tu modò tu gloriaberis, quod tantos viros ex tota Poloniâ habueris; tu prędicaberis ab omnibus quòd tot fideles Chriſti, cultoreſq; religionis foueas; tu ſolùm laudaberis quod ſis fax & lucerna cultus Diuini Ruſſis. Ceſſiſſet tibi nũc Roma quæ fuit quondam totius orbis caput & regina: in illa enim Ioues, Martes, Veneres, Vulcani, venerationi erant; in te autem verus colitur Deus: in illâ fuerant templa dæmoniis gentium dicata; in te autem templum illuſtre numini Diuino eſt conſecratum: illa ſumpſit ſuum primordium à Romulo, qui à paſtoribus educatus erat, tu habes originem à Clariſſima gente Oſtrogiorum: illius muri maduerunt ſanguine fraterno; tui verò muri ſunt inuictiſſimi cõcordia & mutuus amor ciuium, pietaſq; in Deum. Valeat igitur Auguſtus Cæſar, qui ſemper gloriari conſueuerat, cum vrbem Romam multis modis ditaſſet atq; ornaſſet: Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo. Et iure optimo. Quid enim Principibus poteſt eſſe magnificentiùs, quàm ſi ditionem aliquam, quam ſuſceperunt, ſtatu meliorem reddant? Quid pulchriùs quàm ſi ciuitatem muro turribuſq; cingant

gant? Quid glorioſiùs quàm ex magnificentiâ immortalitatem glorię quęrere? An non multò maiorem laudem meretur hic noſter Princeps, qui non vnam ciuitatem, ſed plurimas, męnibus firmiſſimis cinxit? qui non in delubra Deorum falſorum antiquorum: ſed in templa veri Dei & Sanctorum ſuam pecuniam expoſuit; qui non gloriolę alicuius cauſâ, aut vanam popularem captando auram, vt Romanorum Duces faciebant, ſed ob amorem Dei ter Optimi Maximi, honoremq; cultus Diuini atq; Sanctorum, excelſa ac magnifica templa excitauit. Sed his pro tenuitate virium ingenij mei breuiter dictis: nunc ad id quod tertio loco me dicturum eſſe pollicitus ſum, nempe de liberalitate, quę eſt caput orationis meę, propero, maiuſque multò opus moueo. Hac enim hac Principes, ſubditos ſuos, in perpetuũ ſibi deuincunt; hac vnusquiſq; amorem ſibi apud ſuos, laudem apud exteros conciliat; hac vnicâ Principes à plebe diſcernuntur. Quis etenim vidit lucentem ſine lumine ſolem? Quis vrentem ſine calore ignem? ſic quis poteſt eſſe Princeps aut Rex diuturnus, ſine liberalitate? Quid namq; poteſt excogitari, quod magis condecoret Principes liberalitate? Quid ad amandum magis compellit liberalitate? Quid vt vno verbo dicam beneficẽtiâ inexpugnabiliùs? Non opus eſt in altum editas exſtruere arces, vbi liberalitas ſemel firmiter radices ſuas egerit. Fruſtra eſt in

excel-

excelſum arduos emunire colles, vbi beneficentia regnat. Turpe eſt illis latera montium abſcindere, quos liberalitas vallauit. Stultum eſt Principibus multiplicibus ſe muris turribuſq; ſepire, quos beneficia poſſunt conſociare atq; munire. Saluos ſemper in aperto Principes pręſtat liberalitas. Quis enim erit adeò immanis, qui eis audeat moliri aliquod periculum, à quibus beneficia ſumpſit? Quis eos nolit eſſe tutiſſimos; qui quantò plures in Repub. fuerint, tantò magis ciues liberalitate & munificentiâ ſuâ ditiores reddunt, Remq;publicam magis magiſq; augent & exornant. Quid ita? Caput enim eſt omnium virtutum liberalitas, ſub cuius vexillo fortitudo, temperantia, & regina virtutum iuſtitia floret: ſine quâ non modò ciues probi, ſed ne illi quidem qui ſcelere & maleficio paſcuntur, tranquille vitam ducere poſſunt. Firmiſſimum eſt ſcutum & arx inexpugnabilis Imperatorũ beneficentia. Nonné enim plures Alexander Magnus regiones hoſteſque in deditionem ſibi beneficentiâ quàm armis aſciuit? Quid dicam de Antigono, qui ſuadentibus amicis vtſi Athenas caperet, firmiſſimis ſibi cõmuniret pręſidiis, ne aliquando deſciſcerent; reſpondit ſe ſemper in eâ ſententiâ fuiſſe, vt crederet nullum eſſe pręſidium firmius beneficentia? Huius autem ego liberalitatem, dum penitius perpendo; quam ille mihi ipſi, vt alios ſileam, ſatis largâ & liberali manu contulit:

tulit:

tulit: totus profectò obstupesco, imò vt cum Pòë-
ta dicam.

Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusq; coit formidine sanguis.

Cum enim in cæteris virtutibus neminem illi anteponam; in liberalitate ne conferre quidem possum. Quis est Princeps aut Dux tam opulentus, qui tot viros doctissimos eximiis præmiis, ex vltimis terris accersitos, in aulâ suâ alat? quoniam nulla nocte somnum capere potest, nisi priùs multa ex historiis, audiat, discat, & memoriæ, quæ est ei comes fidelissimus, instillet. Quot viros optimè de literis meritos ex Academiâ Cracouiensi celeberrimâ (quæ est ceu gemma in totâ Poloniâ preciosissima, micansq; inter ignes, vt quidam ait, luna minores) ad se asciuit; qui consiliarij & administri suæ voluntatis forent: cum semper gloriosum esse ducat, in doctos homines erogare pecuniam? Quot viros religiosos ordinis D. Francisci atq; D. Bernardini ad mensam suam quotidie habet, eorumq; colloquiis de rebus Diuinis fruitur? Quot egenos inopiâ pressos, quæ cursum ingeniorũ retardat, viresq; debilitat ac frangit, in studiis literarum informandos alit? Quot alienigenas in seruitutem raptos fonte Baptismatis initiari iussit, & ad erudiendum tradidit? Quàm mihi ipsi, vt cęteros pręteream, multa beneficia contulit? Cum enim Macouiciã ornamentum, totius felicissi-

 licissi-

licissimæ quondam Vngariæ, in potestate haberet: multisq; eam artibus ac dolis vicinus hostis, nempe Turcarum gens ferocissima, sępius oppugnare contendisset. Ipsius miles fortissimus, qui sub eius auspiciis tyrocinia militiæ gesserat; innumeram sępenumerò hostium manum à depopulatione illius repressit atq; fugauit, multisque cladibus barbaram illam gentem affecit. Multa tunc bona in cineres & fauillas redegit multa prędia vastauit, oppida atque castella in seruitutem accepit, matronas necauit, optimates trucidauit, iuuenes durum seruitutis iugum ferre compulit, multaque millia hominum ad orcum demisit: liberos adextremùm è gremio & amplexu parētum abreptos in Poloniam relegauit: quos ipse fonte salutari perfusos nonnullos ad seruitia sua informandos dedit, multos viribus pollentes ad artem militarem destinauit: plurimos autem cum sciret iucunditate literarum, nihil esse suauius ad erudiendum in artibus liberalibus tradidit. Ex quorum cum sim numero impium esset me tantorum beneficiorum obliuisci. Non satis namq; illi fuit me errantem, & in tenebris errorum, in quibus natus eram, palpitantem; lumine Catholicæ fidei illustrare: sed etiam fonte sacro baptismatis leuatum, ingenuis atque honestis disciplinis, non seruilibus operis instruendum dedit. Quæ enim laudabilior est industria? Quis labor pręstantior hoc qui

in ani_

in animi cultu consumitur? Quæ cum ita sint quotusquisq; nostrum erit, qui huius Principis virtutes nō prędicet? Quas enim maiores quis aut illustriores virrutes requirit? omnes mehercle in eo reperiet. Prudentiam in rebus agendis? In quo maior enituit prudentia, dum nuper omnes seditiones & tumultus exortos extinxit. Consilium salubre ad depellenda pericula patriæ? Cuius consiliis Senatores magis in comitiis acquiescūt, vt omnia dicta & verba ipsius tanquam ex tripode Apollinis deprompta esse iudicent. Amorem erga literas? Quis magis literatos viros amplectitur, eorumq; colloquiis fruitur? Liberalitatē in egenos? Quis plures inuidâ oppressos paupertate in literis informandos tradidit? Quis maiores clades in Tartaris in iuuenili ætate fecit? Solus IANVSSIVS. Cuius legiones inuictissimæ toties impunè Turcarum oras vastarunt, oppidaq; & vicos sanguine hostiū implerunt? Solius IANVSSII. Cuius plures terrarum oras manuum tela vnà cum immortali famâ penetrarūt? Solius IANVSSII. Valeat igitur Roma cum suis Scipionibus, Curiis, Fabiis, Fabriciis, Horatiis, & aliis fortissimis viris. Taceant Athenæ cum suo Codro & aliis Imperatoribus. Ecquis hoc Principe ingenio prudentior, iure peritior, fide, religione officioq; diligentior, aut Sanctior commemorari potest? Ecquis eodem constantior? Ecquis consilio, virtute, autoritateq; pręstantior?

tior? Omnes profectò virtutes in eo summę reperiuntur; insignis est scientia rei militaris, pręclara iustitia, eximia liberalitas, singularis abstinentia, imò vt paucis dicam, pręter decus & gloriam nihil ipse in tota vita cogitat. Numeret igitur quis Reges subactos, exercitus fusos, prouincias imperio additas. Pręedicet Imperatores ex pręliis triumphatum agentes, terras ferro igniq; vastãtes. Referat in fastis quàm multos armis hostes aliquis vicerit, regionesque subiugarit. Iactitet alicuius spolia è cęlis Regibus & Ducibus fortissimis detracta. Ego contra opponam vnum Principem IANVSSIVM, qui & patrię tumultus sapientiâ suâ singulari sedauit, & prouincias Regesq; beneuolentiâ deuinxit, & armis si quos oportuit oppressit. Quid plura? Legimus Alexandrum Magnum à nemine vnquam benignitate fuisse superatum. Inter alia enim quibus eum natura dotauerat, id tamen vnicum semper enixiùs curauit: ne eum aliquis liberalitate excelleret. Nonnè autem maior in nostro Principe beneficentia relucet? Cuius tanta est liberalitas & beneuolentia, vt etiam superare beneficentiam illius Titi Vespasiani videatur. Hic enim cum inter cęnandum aliquo die esset recordatus, quod eo die nemini quicquam beneficij pręstitisset; memorandam & dignam mehercle Principe vocem edidit. Amici diem perdidi. Laudãda sanè vox illius Principis, qui omnem diem se perdidisse

putabat,

putabat, quâ amicis suum non pręstitisset officium. Quantò laudabilior est huius Principis liberalitas; cum ille amicis, hic verò cuiusuis conditionis hominibus modò ipsi velint innumera beneficia, non singulis diebus vt ille; sed cunctis etiam momētis non denegat. O insigne exemplar liberalitatis. O excellens ornamentum literarum. O pulcherrimum decus Russiæ. O firmissimum pręsidium Poloniæ. Vigebit tua fama, vigebit humanissime Princeps, quàm diu Horynnus pręterfluet Ostrogiam. Florebit nomen, quàm diu lucidissimum iubar solis percurret Sarmatiæ oras. Lucebunt tua facta pręclara quàm diu Ostrogianum nomen in orbe fulgebit. Celebrabunt te non solùm nostræ, sed omnium penè gentium literæ atq; linguæ Pleni erunt libri posterorum tuarum laudum, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas. Sed ad quem iam portum vela sermonis mei in profundum hoc mare expansa; quod latissimum vndiq; ad dimetiendum esse conspicio, appellere debeam, ignoro. Relucet in illo viua Aristidis iustitia, Themistoclis prudentia, Epaminondæ fortitudo, Annibalis peritia, Iulij sapientia, Scipionis robur, Fabricij virtus: de liberalitate nihil ampliùs dico, ne videar assentari; quæ tamen adeò nota est, vt non assentator qui eam laudet, sed qui non laudet maleuolus existimādus sit. Sed quid externa reuoluo? cum intra parietes domesticos plu-

rima exẽpla virorum illustrium habeamus; à quorum ipse virtutibus, ne latum quidẽ vnguem aberrasse cupit, & semper cogitat. Nonné in illo residet Cazimiri Magni in ornando & muniendo Regno studium atq; diligentia, Miecislai senis grauitas, Iagellonis in propagando cultu Diuino labor, contentio, cura, pietas, & munificentia, in quibus ille nullum superiorem habet. Quid igitur iam ampliùs restare videtur? nisi vt hunc Principem benignissimum omni genere laudum ornemus. Hic est hic insigne speculum religionis, hic excellens ornamentum literarum, hic illustre domicilium virtutum, hic firmissimum pręsidium & tutella totius Poloniæ. Huius consiliis saluberrimis sępe Polonia ex multis cladibus erepta est. Huius insigni prudentiâ innumerę fraudes & doli Tartarorum sunt detecti. Huius ineffabili munificentiâ, Volinia nunc Scythis est formidabilis. Huius maximis beneficiis Polonia est condecorata. Huius eximiæ virtutes per ora omnium gentium volitant, & pietas, quæ est fundamentum virtutũ, omnibus ad imitandum proponitur. Viue igitur diu, viue felicissime Princeps, viue Nestoreos annos. Annuat votis tuis Deus Optimus Maximus, vt semper auxilio egenis, incremento literis, exemplo iunioribus, terrori hostibus, patriæq; carissimæ ornamento sis. Annuat Deus vt tua beneficentia, & liberalitas in literatos viros, indies magis

magisq;

magiſq́; augeatur atq́; creſcat. Seruet te Deus omni-
potens in multa ſecula; vt *Eccleſiæ* ipſius emolu-
mento, pauperibus fructui, fidelibus pręſidio, fidei
&religioni honori perpetuò eſſe poſſis: donet tibi
prolem, quæ ſit tuorum conſiliorum atque virtu-
tum particeps, mihi totiq́; Poloniæ commodo. Ego
autem pro tot & tantis beneficiis, quæ mihi ſunt
pręſtita: cum ea nuſquam, ne dicam remunerari,
ſed ne enarrare quidem valeam: omnibus tamen
diebus vitæ meæ paſſim circumferam, & palàm prę-
meferam, nunquam me tibi ſatis facere poſſe. Sed
vt te Deus ter Optimus Maximus, in annos quàm
plurimos saluũ ac incolumem ſeruet, noctes dieſq́;
maieſtatem Diuinam interpellare, meis indignis
precibus non deſiſtam. Tu modò vt mea ſtu-
dia, quibus me totum deuoui, proroges
& augeas, etiam atque etiam
humillimè peto.